33.

VICARIATUS IMPERII PALATINUS DEFENSUS

CIϽ IϽ C LVIII.

VICARIATUS IMPERII PALATINUS DEFENSUS

CAPUT I.

PRÆFATIO.

LÆtabatur unicè nuper Germania pace publicâ constituta, & cum aliis tum iis quæ inter Serenissimas familias Palatinam & Bavaricam aliquandiu fuerant dissidia æterna lege compositis: sperans inposterum securè tranquillitate frui sua, saltem immanium illorum malorum quæ hactenus perpessa erat quietem expectans: At verò denuò oritur inter easdem illas familias contentio de Vicariatu Imperii, utraque sibi illum asserente, Bavarica scilicet sibi etiam illum unà

cum Electorali dignitate hactenus à *Palatinis* possessa datum, Palatina verò sibi illum, *non* relictum duntaxat, sed etiam confirmatum idque legibus ipsis Pacis, asseverante. Non de levi sanè negotio, nec inter partes exiguæ in Imperio existimationis lis vertitur. Quoniam itaq; in universum omni Reipublicæ summé periculosa est magnorum Principum quamvis de rebus parvis discordia, non potuit non meritò gliscens hoc novum dissidium universæ Germaniæ magnum metum incutere; præsertim quum haut ignoret prudentior quisque *illud* Taciti, *periculosiores esse inimicitias juxta Libertatem* & nimirum simus memores omnes quantum ad ferale nuperum civile bellum momenti attulerit illa Vetus inter Principes familias istas de Electorali munere controversia; In tempore igitur & confestim, primo hoc ipso momento summa utique ope niti decet, ut sopiatur novum hoc incendium, anteaquam capessat vires: ceu in omnibus civium Reipublicæ cujusvis primorum litibus faciendum esse, sapientum consensu dudum est constitutum. Est verò fortassis ad disputationem hanc componen-

ponen-

ponendam nullum remedium promptiùs, quàm exacta controversæ causæ cognitio. Illâ videlicet Principes ipsi sunt pietate, ut scientes quidem Volentesque nolint Pacis legibus per injuriam adversari: pari animo gaudent qui illis Principibus sunt à consiliis & operâ: Nefas verò itidem fuerit, sequius suspicari de reliquis, quotquot in Germaniâ valent auctoritate, & Imperii communem sustinent curationem: si probè igitur fuerit cognitum, quid in hac controversia juri & æquo consentaneum, spes est tantum non suapte sponte desiturum dissidium. Quod si verò haud defuerint, ut solet, qui innoxios Principum animos in devia seducant, domesticis commodis unicè intenti, justitiæ verò incuriosi, etiam illos tamen reliqui prudentiores & æquiores eò facilius poterunt compescere, quò exactius causam ipsam intellexerint. Operæ igitur pretium indubiè fuerit, si rem omnem oculis Universi Orbis & quidem nudè, breviter, absque fuco atque fallaciâ, exhibuero: paratus alios idem agentes absque omni partium studio audire, cùm pace & tran-

 quilli-

quillitate publicâ (DEUS testis est) *nihil prius* habeam vel antiquius.

CAPUT II.

Fundamenta duo totius controversiæ ex Instrumentis Pacis publicæ petita proponuntur, simulq; ordo constituitur proximæ disputationis.

CÆterùm hac in controversia duo sunt tanquam fundamenti instar constituenda: *Alterum* est in Serenissimam Bavaricam familiam ejus quod antehac tenuerat Palatina, præter Palatinatum superiorem & comitatum Cham per leges pacis publicæ nihil aliud esse translatum, *quàm Electoralem dignitatem, cum omnibus tamen regaliis, officiis, præcedentiis, insigniis & juribus ad hanc dignitatem spectantibus*: Alterum est, iisdem legibus Serenissimæ Palatinæ familiæ redditum esse *Inferiorem* sive illum, qui ad Rhenum est, *Palatinatum cum omnibus juribus quibus ante motus Bohemicos Electores Principesq; Palatini gavisi sunt.* Utrumque

trumque sole clarius manifestum est ex Tabulis Pacis, quæ sive Monasterii sive Osnabrugæ conscriptæ sunt, sunt autem iisdem planè verbis circa hoc quidem negotium exaratæ; Verba hæc sunt: *Causam Palatinam conventus Monasteriensis & Osnabrugensis eò deduxit, ut eâ de re jam diu mota lis diremta sit modo sequenti: Et primò quidem quod attinet domum Bavaricam, dignitas Electoralis, quam Electores Palatini antehac habuerunt cum omnibus Regaliis, Officiis, Præcedentiis, insigniis & juribus quibuscunq; ad hanc dignitatem spectantibus, nullo prorsus excepto, ut & Palatinatus superior totus unâ cum Comitatu Cham, cum omnibus eorum appertinentiis, regaliis ac juribus, sicut hactenus, ita & inposterum maneant penes Dominum Maximilianum, Comitem Palatinum Rheni Bavariæ ducem, ejusq; liberos, totamq; lineam Guilhelmianam, quamdiu masculi ex eâ superstites fuerint. Item: Deinde ut inferior Palatinatus totus cum omnibus & singulis Ecclesiasticis & secularibus bonis, juribus & appertinentiis, quibus ante motus Bohemicos Electores Principesq; Palatini ga-*

visi

visi sunt, omnibusq; documentis regestis, rationariis & cæteris actis huc spectantibus eidem plenariè restituantur, cassatis iis, quæ in contrarium acta sunt : Hactenus verba sacrosanctæ publicæ Pacis. Pertinent verò ad hoc negotium & illa sequentia : *Quod si verò contigerit Lineam Guilhelmianam masculinam prorsus deficere, superstite* P*alatinâ, non modò Palatinatus superior sed etiam dignitas Electoralis, quæ penes Bavariæ duces fuit, ad eosdem superstites Palatinos, interim simultaneâ investiturâ gavisuros redeat, octavo tunc Electoratu prorsus expungendo.* Ultima certè hæc verba itidem manifestum faciunt, præter Palatinatum superiorem non nisi *Electoralem dignitatem* Bavaricæ domui concessam esse, ut quæ sola ad Palatinos Guilhelmiana masculinâ stirpe deficiente redire debeat.

Hisce duobus tanquam indubitatis fundamentis extra omnem controversiam positis videndum jam est, num Vicariatus Imperii is quem tenuerunt Palatini ante motus Bohemicos, pertinuerit ad illam Electoralem dignitatem quæ in Bavarum translata est, an non pertinuerit;

erit; num item ille pars fuerit illorum Jurium quibus Palatinatus ad Rhenum ante motus istos gavisus est nec ne: si enim pertinuit ad Electoralem dignitatem istam, juris ille hodiè est non Palatini, sed Bavarici: sin, Palatinus illum hodieque sibi jure tenet, & per injuriam arrogat Bavarus. Similiter si Vicariatus ille proprius fuit Palatinatui ad Rhenum, justior causa est Palatini: sin, saltem verò haud absimilis est Bavarica prætensio. Utrumque accuratè expendemus, breviter tamen, illo ordine, ut de priore prius, de posteriore posterius agamus.

CAPUT III.

Argumenta, quibus verosimile fiat, Vicariatum pertinere ad Electoralem dignitatem, proponuntur simul & confutantur.

IGitur Vicariatum esse partem Electoralis dignitatis, saltem Verisimile cui hinc fiat. *Primùm* enim Vicariatus illud munus arduum utique est, & magnum ac proinde non nisi illis Principibus qui præ aliis emi-

nent, videtur competere oportere. *Jam verò* Electores in Imperio Germanico aliis eminent & quidem ratione Electoralis dignitatis: His igitur & in quantum quidem sunt Electores, Vicariatus quoque munus jure convenit. Ex consequenti, ante factam illam translationem Electoralis dignitatis in familiam Bavaricam, Comitibus Palatinis ad Rhenum competiit jus Vicariatus non nisi vi eminentiæ suæ Electoralis, atque adeò fuit antehac Vicariatus ille portio quædam *Electoralis muneris.*

Secundò: Ex quo institutus est Vicariatus ille non nisi penes solos ille Electores Palatinæ domus fuit, quod indicio est Electorali dignitati saltem insolubili Vinculo esse Vicariatum connexum.

Tertiò: In Aurea Bulla de Vicariatu ita constitutum est: *Quotiens insuper sacrum vacare continget Imperium, Illustris Comes Palatinus Rheni Sacri Imperii Archidapifer, ad manus futuri Regis Romanorum in partibus Rheni & Sueviæ & in jure Franconico &c. esse debet Provisor ipsius Imperii*: Quæ verba non

non obſcurè ſignificant, ad Archidapiferatum pertinere munus illud Proviſorium. Perinde ſanè atque Vicariatum Saxonicum partem eſſe Archimariſchallicæ dignitatis colligere eſt ex ejuſdem Bullæ Aureæ hiſce verbis : *Et eodem jure Proviſionis Illuſtrem Ducem Saxoniæ Sacri Imperii Archimarſchallum frui volumus in illis locis ubi jura Saxonica ſeruantur.* Similiter verò & in illis tabulis quibus Carolus IV. Maximilianus Primus & Carolus V. Vicariatum Imperii Palatinis quondam ſtabiliverunt, diſertè ſolis illis tribuitur Vicariale illud munus So Churfürſten ſeyn. Quæ Verba itidem indicant, arctam illam Vicarialis dignitatis cum Electorali connexionem.

Cæterùm hæc quamvis ſpeciem roboris habere videantur, tantæ rei tamen probandæ non ſunt idoneæ. Nec verò difficile multum eſt eorum vim frangere, aut potius imbecillitatem in lucem producere. Ut igitur ordine reſpondeamus, quod in *primo* argumento ſumitur, Vicarialem dignitatem per eſſe eminentem, verum quidem eſt, non verò illud quod additur; jure proinde illum competere ſolis iis *Ad I.*

qui jam tum omnibus eminent. *Non ſanè* hoc eſt juris vel Naturæ vel divini æterni. *Imò* ne quidem exigit tale quid commodum Reipublicæ, quod eſt principium legum civilium. Ex adverſo inter ſcita politica eſt, non temerè congerendas in unum magnas dignitates, multò minus iis qui jam tum potentiâ & dignitate eminent adiiciendos eximios honores & addendam vim magnam: quoniam hoc ipſum non vacat periculo & aptum eſt turbandæ Reipublicæ. Ut verò ſit juſtum; *Eminentibus* jam dignitatibus eminentes alias dignitates adjiciendas eſſe: neutiquam tamen hinc colligere eſt, obſervatum illud ipſum eſſe in Imperio Germanico: Nec enim in omni Republicâ idem eſt in uſu quod juſtum aut reipubl. eſt utile. Eſt certè fallaciſſima collectio de eo quod eſt conſtitutum, & reapſe obtinet ex eo quod conſtitui oportet. Tota verò quæſtio de Vicariatu in eo vertitur, quid obtinuerit hactenus aut conſtitutum fuerit in Imperio de Vicariatu: ac proinde ex eo quod fortè conſtitui de illo oportuit, inepta eſt omnis hujus quidem loci argumentatio. Ex adverſo certum

eſt,

eſt, Vicarias dignitates perfrequenter commiſſas eſſe ab Imperatoribus noſtris principibus minoris alioquin exiſtimationis & auctoritatis: perinde atque in Aulis primo loco plerunque ſunt illi qui cætera non multum poſſunt. Rerum germanicarum Veterum ſanè peritis notum eſt, Francorum florentibus rebus Cæſareas vices in Provinciis paſſim obiiſſe ſupra ordinarios Magiſtratus Miſſos Regios qui appellabantur, potentiâ aut genere nobilitatis neutiquam præpollentes. Saxonicæ ſtirpis Regibus prævalentibus, Otto Magnus in Italiam peregrè profecturus Saxoniæ Univerſæ vice ſua gubernandæ præfecit Hermannum Billingum: quem ut non credamus ruſticis parentibus natum, certum tamen eſt præ aliis Saxoniæ Proceribus non eminuiſſe, ſive natalibus, ſive opibus, ſive dignitate ac potentia. Henrici IV. Cæſaris pupilli vice functi ſunt primum Agnes mater, inde Comitum unus & alter cum Archiepiſcopis Colonienſi & Hamburgenſi. Otto IV. Regno Arelatenſi ſeu Burgundico præfecit Marſchalli titulo Gervaſium Tiberienſem,

riensem, Regiâ quidem stirpe *Anglica* natum, at nulla instructum potentia, saltem in terris Imperii. Henricus VII. in Italia absens res Imperii Germanicas potissimùm per Berchtoldum Comitem Hennebergicum fecit administrari. Mitto similia exempla complura adferre; quum ex Italia cumprimis eorum liceat magnam copiam huc adducere. Quid, quod suo aliquo modo Judicium Cameræ Spirensis hodieque vice Cæsareâ fungatur? Aliquo suo modo, *inquam*, nec enim definio num omni sint ex parte vera, quæ magnificè de auctoritate illius judicii pronuntiat Petrus Denaisius in assert: Jurisdictionis Imperialis Cam. t. 1. p. 46. Notissimum verò est Moguntino Electori omnes inter Germaniæ Principes primum locum deberi & tamen Vicariâ illum potestate destitui: Fac tamen etiam verum esse; Comiti Palatino occasione Electoralis dignitatis adjectum esse Vicariale munus, non tamen etiam ita sequitur, munus illud Vicariale vel partem Electoralis dignitatis vel aliquid insolubili vinculo cum dignitate Dapi-

feratus

feratus fuisse conjunctum. Firma certa sequela neutiquam ex illis principiis hoc deduxeris. Verum non est opus ut illam disputationem ingrediamur, cùm sufficiant illa quæ paulò ante attulimus.

In altero argumento verum itidem quidem est Antecedens illud, ceu Logicè loquuntur, *Vicariatum* Imperii, quo de jam res est, *non penes alios Palatinos Principes fuisse quàm solos illos qui simul Electorali dignitate fulserunt*; at quæ hinc nectitur collectio nihili est, nec observatis Logicæ præceptis (quod fieri par est) rectè institui potest: Ratio est, quoniam multum differentiæ est inter id quod quis agit per se aut per accidens, ceu accuratè docent Philosophorum Scholæ. *Nihil sanè vetat quædam perpetuò jungi & tamen non nisi per accidens conjuncta esse.* Sic Serenissimi Duces Bavariæ simul sunt Comites Palatini, & tamen non nisi per accidens Comitatus Palatinus Ducatui Bavariæ adhæret. Nisi igitur probatum fuerit, Vicariatum primò ac per sese ad Electoralem dignitatem illam quam tenuerunt Ad 2.

Pala-

Palatini, pertinuisse, nullius roboris *est collectio*. Prius verò illud ex isto quidem *principio* nequit colligi.

Ad 3. Paris notæ est *Argumentum tertium*. Nec enim illæ leges Cæsareæ quicquam aliud definiunt, quam quisnam Palatinæ familiæ Comitum reapse debeat exercere Vicarium munus. Ex Aureæ Bullæ profectò verbis integris res liquidò apparet. Mutilatè enim illa fuerunt in medium proposita omissis iis: *ratione* Principatus *seu Comitatus* Palatini *privilegio* : Jus nimirum omnium qui Palatinum Comitatum tenent commune aliquod est in Vicariatum, *ratione illius Principatus* seu Comitatus Palatini privilegio: quoniam verò administratio Vicariatus non nisi ab uno potest ritè institui, Lege cautum est, illam soli illi Palatinorum Comitum, qui Sacri Imperii Elector est, convenire.

CAPUT IV.

Vicariatum ab Electorali dignitate esse planè distinctum nec vinculo insolubili cohærentem, multis rationibus ostenditur.

Illa

ILla quidem igitur in medium adducta argumenta non ſunt idonea evincere, Vicariatum fuiſſe antehac partem aut verò etiam inſolubilem appendicem Dapiferatus aut illius Electoriæ dignitatis quæ Palatinæ familiæ Rudolphinæ antehac competiit. Ex adverſo autem non deſunt quæ longè firmiſſimè adſtruant, & fuiſſe & ſemper habita diverſa atque inter ſeſe ſeparata, nec niſi per accidens aliquandiu conjuncta illa Electoralia & Vicarialia munera.

Et verò 1. Si utrumque munus inſolubili vinculo fuit conjunctum, factum illud eſt, aut quia ex ſe & ſua naturâ cohærent, aut quia lege quadam Cæſarum poſitiva ſic ſunt connexa. Prius ab omni ſimilitudine veri eſſe alienum, non indiget ullâ probatione: ſole enim meridiano clarius jam tum omnibus eſt hoc notum. Nec enim ullum apparet vinculum naturale inter Electorale & Vicarium munus: multo minùs alterum alteri includitur ceu pars hæret in toto. Quis neſcit ſanè nec omni Electori, nec ſoli Vicarium munus competere? *Non omni* profectò Electori hoc commune eſſe vel pueri noverunt. *Non ſolis* etiam Electoribus pro-

 prium

prium esse hodieque nemo ignorat rerum *Imperii per Italiam* vel leviter peritus: præsertim cùm nuper jus Vicarium rerum Imperii per Italiam Mantuano Duci sit concessum. Posterius uno illo potest probari, quod talis quædam Cæsarea constitutio nusquam hactenus visa, nusquam sit audita, ac proinde nunquam sit lata, imò vero Cæsares longe aliud olim credidisse & instituisse, paulopost patebit. *Secundò* enim, nullâ factâ mentione Electoralis dignitatis Cæsares *non nulli* disertis verbis jus Vicariatus tribuerunt Palatinis Comitibus, ac proinde judicaverunt utique Cæsares illi Vicariale illud jus ab Electorali planè esse diversum. De Ludovico IV. Cæsare & Bavariæ familiæ capite Joannes Cuspinianus homo Austriacus, & Aulæ Cæsareæ familiaris, jam ante hosce centum quinquaginta amplius annos retulit; illum Anno 1339. in publicis Imperii comitiis Francofurtensibus adversus Romanos Papas inter alia hoc sancivisse · P*ræterea falsissimum est, per vacationem Imperii jus ad Papam devolvi: idque est contra S. Imperii dignitatem, jura &*

liber-

libertates. Longa enim & approbata consuetudine inconcussè à majorum ordinatione hactenus observata, vacante Imperio jus administrandi Imperii, jura, feuda conferendi, & negocia cætera disponendi, Palatino Rheni debetur.

Successor hujus Carolus IV. in ipsâ Aureâ Bulla cap. V. magis adhuc disertè dicit, Vicariale illud munus Electori Palatino competere, *ratione Principatus, seu Comitatus Palatini privilegio.* Principatus autem utique non est Electoratus; nec Electoratus est Comitatus Palatinus. Nihil potest clariùs dici in separationem utriusque muneris. Rupertus Imperator in illo diplomate quo in Italiam profecturus filio Ludovico Vicariatum commisit Anno 1401. quæque integra exhibetur à Frehero l. 1. Orig. Palatin. C. XVI. & in Appendice: *Advertentes à divis Romanis Imperatoribus & Regibus, prædecessoribus nostris, hactenus extitisse observatum, ac etiam de jure Comitatus Palatinatus Rheni fuisse & esse, quod cum Romanus Imperator ultra montes Italiam ingressus fuerit,*

in ipsius absentiâ Vicariatum Imperii in Germaniâ, Galliâ & Regno Arelatensi ad Comitem Palatinum Rheni pertinuisse & pertinere. Maximiliani quoque I. temporibus, cùm Philippus Archidux Austriæ Cæsaris Filius Vicarius audiret, idque ad injuriam domus suæ judicans pertinere Philippus Palatinus inter alia ita Anno 1496. scripsisset Cæsari: Wann E. Königl. Majestätt ist hievor / vnd sonderlich auff dem nechst gehaltenen Tage zu Wormbs mündtlich/ auch durch drefflich vnd hohe schrifftlich Vhrkund genugsamlich bericht / wie meine VorEltern mit ihrem Blutvergiessen das Vicariat erworben / des begnadt vnd versehen / auch herbracht vnd zu etlichen Zeiten / so von E. Majestätt Vorfahren in ihrem vberziehen ander Befehl geschehen / ist das vntäglich erkandt / vnd eines Pfaltzgraffen Handel mit Vrtheil vnd Recht von E. Majestätt Vorfahren kräfftig gesprochen / als ohnzweifflig E. Majestätt noch wohl indächtig. Ac proinde sic satis aperte indicasset sibi tanquam Palatino Comiti Vicariale jus competere, prætcrita silentio Electorali dignitate; fecit Cæsar per Consiliarios suos ita responderi Legato Palatino, qui literas illas

attu-

attulerat : Die Werbung so der von Wormbs von wegen des Pfaltzgraffen an die Königl. Majest. gethan hat / des Vicariats halben / hat Seine Königl. Majestätt gnädiglich vernommen / vnd darauff zur Antwort geben / daß Seiner Königl. Majestätt Meynung nicht sey dem Pfaltzgraffen an seiner Gerechtigkeit des Vicariats vnd altem herkommen einigen Abbruch oder Irung zu thun : Item : Wo der Pfaltzgraff das Vicariat von der Königlichen Majestätt vnd des Heyligen Reichs wegen auff dem Tage zu Lindaw versehen will / wie von alter herkommen ist / mag Seine Königl. Majestätt wohl erleiden / ist auch seiner Königl. Majestätt freundlich Begehr. Wo Er aber Persöhnlich auff solchen Tag nicht kommen möchte / so wehr der Königl. Majest. Nothurfft ein Comissari von seiner seithen oder sonst dahin zu verordnen / Seiner Königlichen Majestatt vnd des Heyl. Reichs Händel auff demselben Tag zu üben / doch dem Pfaltzgraffen an seiner Gerechtigkeit vnschädlich. Literas illas integrè exhibebimus in Appendice; ut & rectius omnia oculis lectorum exhibeantur. A. B.

III. Hanc suam sententiam porrò Cæsares declaraverunt uberiùs, dum *seorsim ab Ele-*

ctorali dignitate per singulares Tabulas Comitibus Palatinis jus Vicariale stabiliverunt: Ad quod *Tertio* loco meritò est hîc observandum. Quod *si sanè* creditum tum fuisset Vicariatum includi in Electorali dignitate vel simul tacitè cum hac etiam illum conferri, non profectò *opus esse judicassent diversis Tabulis* ad Vicariale jus confirmandum. Et tamen tales Tabulas Palatinæ domui Carolus IV. Maximilianus I. & Carolus V. rerum Imperii & peritissimi pariter & studio-
C. sissimi Imperatores concesserunt. Exhibebit Appendix integrum Caroli V. diploma reliqua sinu suo comprehendens. Quo proinde ut quisque flectat oculos, operæ fuerit precium.

IV. *Ruperto* certè Cæsari fuisse hoc persuasissimum, etiam inde liquet, quod (ceu ante diximus) *In Italiam migraturus Filium Ludovicum Vicarium Imperii constituerit, non tamen in illum Electorali dignitate translata.*
D. Exhibebit nostra Appendix post Freherum ipsas Ruperti Tabulas integrè. In iis verò negatur utique Electorale nomen Ludovico; sed

ſed & in univerſum *vivo patre ab Electorali nomine abſtinuit Ludovicus Vicarii tamen titulo ſeſe omnibus offerens.* Appendix exhibebit tres literas Ludovici illius, quæ hoc ipſum docere abundè ſunt idoneæ. Eſt autem hoc *quarti* generis indicium Electoralis dignitatis à jure Vicariali ſeparatæ.

Non Imperatores verò ſoli diverſitatem illam utriuſque muneris agnoverunt, verùm in univerſum omnes Imperii ordines. V.
Quod pro quinto nobis poteſt jure eſſe argumento, Indicio autem eſt, quoniam approbaverunt quondam ordines illam à Ruperto Imperatore in filium Ludovicum, Electoria quamvis dignitate nulla adhuc inclytum, Vicariatus collationem. Approbaſſe verò, *primùm* liquet ex hiſce Ruperti Imperatoris verbis quæ in Diplomate habentur, cujus non ſemel jam antea meminimus: *Dilectum filium noſtrum Ludovicum animo deliberato, non per errorem aut improvidè, ſed & maturo & Electorum, & aliorum Principum, Comitum & Nobilium noſtrorum & S. Imperii fidelium, conſilio & conſenſu,* *decer-*

de certâ nostra sententiâ, & Regni plenitudine potestatis, per Sacri Romani Imperii, in Germaniâ, Galliâ & Regno Arelatensi, provincias, Principatus, Dominia, districtus & civitates, opida, castra, villas, & eorundem pertinentias, qualitercunq; nominatis omnibus, jure viâ & modo, quibus melius & efficacius possumus & debemus, facimus, constituimus & ordinamus, nostrum & S. R. Imperii in Germaniâ, Galliâ & Regno Arelatensi Vicarium generalem. Liquet secundò ex eo, quod Ludovicus ille non nomine duntaxat vendiderit se Vicarium Imperii, verùm etiam reaspe Vicarium munus exercuerit, non tantum nemine Procerum reclamante, sed ultrò passim omnibus Vicariali illius mandato obtemperantibus. Ubi simul observandum est, & ipsi *Ruperto Cæsari & Proceribus Imperii notum indubiè fuisse Bullam Auream Caroli IV. ut & constitutionem ejusdem Caroli de Vicariatu Palatino seorsim conditam*, iisque constitutum esse, *ut inter Palatinos soli Electores dignitate isthac fruantur; & nihilominus tamen Ludovico Palatino nondum Electorali honore fulgenti*

genti Vicariatum esse concessum : ac proinde salubri interpretatione constitutiones illas ita tum fuisse temperatas, ut nimirum strictè tum demùm observentur, *si nihil impediat*; quemadmodum scil. impedimentum objectum fuit, tum temporis ipso Electore Palatino ad Cæsareum culmen evecto.

Sextò. Ante Rupertum Sigismundo imperante itidem ab Electoribus ipsis fuit judicatum Vicariatum Imperii ab Electorali munere esse distinctum. Patet illud haud obscurè ex eâ confessione, qua coram Electore Coloniensi & Trevirensi Conradus Moguntinus Anno 1433. Palatino non verò sibi committendum à Cæsare fuisse Vicariatum, professus est: imò ex ipsa sententiâ duorum Illorum Electorum tum pronunciata. Utrobique enim asseritur Ludovico Palatino Vicariatum deberi, nec tamen simul ulla fit mentio Electoralis dignitatis. Et sententiam & reversales illas literas quas vocant exhibet Appendix integrè: Verba notatu digna hæc sunt: Moguntini quidem: Vnd Vns aber der hochgebohrne Fürst Herr Ludwig Pfaltzgraff bey Rhein vnd Hertzog in Bayern vnser lieber Oheim mit Vhrkundsen vnd Brieffen vnderwissen hat / daß es nicht syn soll/ V.

E.

 so ha-

so haben wir Vns von solchen des obgenanten vnsers Oheims Hertzog Ludwigs Vnderweissung / vnd auch vmb seines Begehrens vnd bethwillen des obgenantes fürwesen
F. vnd Statthalter Ampts entschlagen : Coloniensis & Trevirensis sententia verò hæc: Vnd Er (von Maintz) soll dem obbenanten vnserm Oheim Hertzog Ludwigen sin besiegelten Brieff davon geben ꝛc.

VII. Eadem septimò fuit sententia ipsorummet Electorum Principum etiam tempore Frideri-
G. ci III. Cæsaris, ceu liquet ex literis Joannis
H. Trevirensis & Ruperti Coloniensis Anno 1468. scriptis ad Fridericum Palatinum, *illum cui res gestæ victoriosi cognomentum pepererunt*. Integras literas illas itidem Appendix exhibet, in utrisq; autem observatum est, Vicariatum tribui privilegio Principatus Palatini: hoc verò utiq; indicio est, non pertinere illum proprie ad Dapiferatum sive Electoratum verba quæ huc faciunt Trevirensis ita se habent: E. Libd. Schrifft Vns gethan mit vbersendung Copeyen / berührende Freyheit vnd Gnade des Fürstenthumbs der Pfaltzgraffschafft / inhalt E. Libd. Brieffs / han wir gelesen ; zu guter maß verstanden / thun darauff deroselben E. Libd gütlich zu wissen / was E. L. vnd des Fürstenthumb der Pfaltzgraffschafft / Gnade vnd Freyheit hat ꝛc. In Coloniensibus hæc leguntur, wann ein Römischer König oder Keyser

auff

auff jenseit der Gebirge wehre / daß alßdann ein Pfaltzgraff zur Zeit gemeiner Vicari des Heyligen Reichs Sin / vnd sich des in vbung vnd Titul annehmen vnd gebrauchen solte / darumb E. L. sich des als ein Pfaltzgraff zu dieser Zeit angenommen haben. ꝛc.

Cum eodem modo porrò loquantur omnis pene ævi scriptores passim de Vicariatu, competere sc. illum Palatino nulla addita mentione honoris Electoralis, jam etiam haud obscurè patet, communem illam fuisse sententiam nostram. Meretur autem illa vox communis in numerum argumentorum *octavo* loco referri; utpote quæ indicet rem usque esse adeo claram, ut nemini temerè quidquam adversum potuerit in mentem venire. Omnia illa dicta hic congerere nimis fuerit operosum. Tantum duo adferemus alterum antiquissimi libelli, quo jam seculo decimo tertio Christiano fuit comprehensa Ordinatio Imperii, alterum Petri de Andlo quem constat Friderico III. Cæsare floruisse peritia Imperii jurium. In ordinatione illâ antiquissimâ sic legas: *Quod si Regem deficere contigerit, Comes Palatinus habeat semper ex officio pro rebus & necessitatibus regni facere* Petrus de Andlo l. 2. c. 7. sic IIX.

 loqui-

loquitur. *Carolus IV. in sua constitutione Tit. de Iure Comit. Palat. & Duc. Saxon. determinat, quod vacante Imperio Comes Palatinus Rheni, Suevia & in jure Franconico ex Comitatus sui privilegio, Provisor debeat esse Imperii.* Clarissimum denique esse discrimen illud inter Electoratum & Vicariatum, arguit propria confessio doctissimorum quorumcunque Bavaricæ causæ Electoralis contra Palatinos Patronorum. Qui dum nimirum disertis verbis differentiam illam agnoverunt: *in universum* omnes ita disputarunt, ut nolentes volentes cogantur fateri, utrumque munus esse planè inter sese distinctum quid & separatum. Scripserunt autem illi Patroni & scripta sua ediderunt auctoritate ipsorummet Serenissimorum Bavariæ Ducum, ut proinde confessio illa meritò possit æstimari, ipsorummet Ducum ingenua vox. Nolo omnia adferre, sufficient pauca. Nicolaus Burgundus omnium ὑπερασπιστῶν Bavaricorum & doctissimus, & disertissimus, & calidissimus, Consiliarius idem Cæsareus & Bavaricus, codicisque in Academiâ Ingolstadiensi Professor, in libro quem Electoratum Ba-

varicum inſcripſit & Ingolſtadii Anno hujus ſeculi triceſimo quarto, ac proinde dudum poſt factam in Bavarum Electoratus & Dapiferatus Palatini tranſlationem, non dubitavit hæc in verba ſcribere pag. 189. *Erras bone vir, ſi putas, nec Vicariatum ſtare poſſe ſine Electoratu, nec unquam ſtetiſſe. Multi ad Vicariatum pervenerunt, qui Electoratum non attigerant. Recognoſce ſingulos & conſidera, quos plenæ nobis adminiſtrant hiſtoriæ. Fridericus Primus Italiam petens, Henricum & Philippum filios Vicarios reliquit in Germania. Ipſe denique Ludovicus Cæſar, ut cæteros prætercam, Ottonem Auſtriæ Ducem in Germaniâ: in Regno Arelatenſi Edoardum Angliæ* Regem *Vicarios conſtituit.* Iterum *pag. 258. Nil habet commune Electoratus cum Vicariatu, ſeparata ſunt officia, & prorſus diſtincta. Comprobatum eſt exemplis, non unum ſemper & eundem habuiſſe poſſeſſorem. Et ſi cum Archidapiferatu copulatum fuiſſe concedamus, potuit Ludovicus Imperator ab Archidapiferatu divellere, & Palatinis proprium facere; Ita tamen, ut Archidapiferatus cum Electoratu maneret communis,*

munis , Non sunt hæc conjugata naturâ suâ: sed Imperatoria auctoritate connexa. Ejusdem autem potestatis est separare , quæ conjunxerat. Quid potest clarius dici ? quid apertius ? saltem de naturali inter Vicariatum & Electoralem dignitatem discrimine : Imperatoria autem auctoritate connexa esse , dicet quidem Burgundus sed nemo hactenus probavit. Jam verò is ipse qui primus ausus est Palatinos oppugnare Christophorus Gewoldus , *etsi obiter* & timidè in libellis nonnullis *ante affirmasset*, Vicariatum Imperii junctum esse Electorali, libro tamen quem ultimum edidit de omni Septemvirali negotio , ac secundis curis emendatum Ingolstadii Anno 1621. publicavit , capite X. quidem prolixè disputat de Electorali dignitate Bavaris competente , seorsim tamen capite XI. agit de Vicariatu tanquam de re ab Electoratu planè distincta. Ne quidem verbulo autem docet in libro illo integro , Vicariatum esse sive partem sive insolubilem appendicem juris Electorii. Hoc docere autem argumentum libri unicè postulabat : Siquidem Gewoldo certò id fuisset persuasum. Ex adverso etiam

illo

illo ipſo loco ita de Vicariatu diſputat, ut haud difficulter appareat agnoviſſe illum ingens quod inter utrumque eſt diſcrimen. Perinde nimirum atque in aliis libellis pro jure Bavarico ſcriptis ab Anno uſque hujus ſeculi XIV. erat factum, pertendit, Vicariatum quo de nunc agitur inſtitutum demum eſſe à Carolo IV. adductis in id ipſis Caroli Cæſaris ex Aurea Bulla depromptis verbis. Solent autem vulgò omnes Bavarici ὑπερασπισταὶ originem Vicariatus non altius petere. At hoc poſito neceſſario fatendum venit, Electorale jus & Vicariale planè ſeparata eſſe, & per ſe quidem neutiquam cohærentia. Ex ſententiâ nimirum illorum Bavaricorum, Electoratus jam cœpit tempore Ottonis III. Penè quadringentis itaque Annis prior fuit Vicariatu, atque à Vicariatu plané ſeparatur. Sit verò origo Electoratus multò junior, cœperitque fortè Friderico demum II. Cæſare. Etiam ita verò ultra centum Annos Electoratus fuerit à Vicariatu diſtinctus: ac proinde ſaltem non per ſe ad Dapiferum Electoratum pertinet munus illud Vicarium. Edant

igitur

igitur necessum est Bavarici novi Patroni *Cæsarem* illum qui primus insolubili nexu *u*trumque munus conjunxerit. Producant Tabulas quibus tale quid est constitutum. Saltem testem unum fide dignum nominent, qui id ab ullo Cæsarum factum esse affirmet. si nihil horum possunt, ut non possunt, facile utique omnibus manifestum est, ut ab initio Electorale munus non habuit conjunctum Vicariatum, ita nec etiam post unquam utriusque muneris insolubi*lem factam* esse connexionem. Certè quem primum volunt esse Vicariatus auctorem Bavarici Patroni, est autem omninò saltem potissimus nutantis & dubii juris Confirmator Carolus IV. etsi hunc unum adducat de Vicariatu isthoc disserens Gewoldus loco quem ante laudavimus, non agnovit utique Vicariatum ab Electoratu sed à Privilegio singulari Comitatus Palatini dependere.

CAPUT V.

Respondetur ad ea quibus videtur probari posse Vicariatum non esse jus aliquod Comitatui Palatino proprium.

Hactenus

HActenus manifeſtum eſt à nobis factum, id quod primo loco demonſtrare inſtitueramus, Vicariatum ab Electorali Dapiferatu eſſe quid plane diſtinctum, & olim non niſi per accidens cum illo connexum, ſolubilem cæteroquin imò reapſe jam ab illo ſolutum. Ad alterum nunc pergendum, factâ nimirum inquiſitione, an Vicariatus ille proprio aliquo jure ad Principatum Palatinum pertineat, an non; eſſe Vicariatum Palatinæ terræ jus aliquod ſingulare, videtur eo indicari, quod multi ſunt functi hoc munere à Palatinatus Principatus poſſeſſione plane alieni. Sic modo audivimus ex Burgund. Fridericum primum Italiam petentem, Henricum & Philippum filios Vicarios in Germania reliquiſſe: à Ludovico item IV. Cæſare Ottonem Auſtriæ Ducem in Germaniâ, in Regno Arelatenſi Edoardum Angliæ Regem, Vicarios conſtitutos eſſe. Aliorum facta jam ſupra à memetipſo eſt mentio cap. *3.* in Reſp. ad argumentum primum. Plures in medium producere nihil attinet.

Verum enim verò non eſt quod illa quidem

dem objectio quenquam turbet. *Observandum* enim est, varia esse & fuisse *quondam* Imperii Vicarialia munera, de qualibus hic nulla est controversia, Ipse Gewoldus libro de Septemviratu Imperii II. tres recenset classes Vicariatuum, qui sunt planè distincti ab illo cujus fit mentio in Aurea Bulla. Quo de nunc scilicet agitur *Vicariatus*, est jus statum & fixum, certæ sive terræ sive familiæ proprium, administrandi res Imperii intra limites Germaniæ, cumprimis interregni *tempore*. Quale statum *jus videtur ortum sive lege sive consuetudine seculo decimo tertio*, dum nutaret autem confirmatum denuò lege publicâ per Auream Bullam, & postea singularibus Tabulis à Carolo IV. Imperatore seculo decimo quarto. Igitur *verum* quidem est, *non omnes promiscuè Vicariatus fuisse à solis Palatinis Comitibus administratos, cumprimis ante seculum decimum tertium.* Sed nihil hoc facit ad rem nostram. Id verò erat probandum, post tempora Friderici II. quenquam Principum statum aliquod Vicariale jus Imperii, per interregna cumprimis iis in locis,

locis quæ Aurea Bulla definit, aut exercuisse, aut etiam sibi tribuisse, præter solos illos, quorum in possessione fuit Comitatus Palatinus. Ad hoc probandum nihil omnino faciunt exempla quæ objiciuntur; Ac proinde nullius est ponderis isthæc quidem argumentatio.

Præter tamen hanc collectionem equidem nihil video, quod possit saltem dubium reddi, num verum sit, quod asseritur jus Vicariale Palatino Principatui esse proprium; Itaque quàm imbecillis sit hâc in re pars illud negantium non obscurum est. Fateor tamen, si non possit firmiter probari assertio affirmativa, eo ipso parti neganti crescere vires, atque adeò tandem ad negationem satis esse, si affirmatio careat fide & omni certitudine; Quodcunque enim nullâ certâ fide nititur, fictitium est. Utque non sit omninò fictitium, tamen inidoneum est dare certum aliquod principium disputandi. Et verò si deficiat probatio, quò demonstretur Vicariatum, quo de agimus, esse Palatino Principatui proprium, non poterit pro-

fectò hinc capi argumentum pro *Palatinâ* Domo adversus Bavaricam. Quapropter proximum est, uti videamus, num & quibus rationibus id possit astrui.

CAPUT VI.

Multis argumentis demonstratur, Vicariatum esse jus aliquod proprium Comitatus Palatini.

Videtur verò hoc ipsum multis *modis sic* satis firmiter probari posse.

1. Inter illa autem argumenta primum locum meritò occupant verba aperta & clara Aureæ Bullæ Caroli IV. Hæc enim A. B. lex est Imperii publica, & hodieque in summâ apud omnes veneratione. Lata est jam ante hos trecentos circiter annos, in plenis Comitiis Imperii post maturas deliberationes non Cæsaris duntaxat, sed etiam Electorum Principum, Comitum, Nobilium Civitatum aliorumque, ac proinde non potest ejus quidquam jure mutari, nisi Cæsaris atque omnium Imperii Ordinum Consensu & Authori-

thoritate, quâ sc. omnis illa Aurea Bulla est lata & constituta. Verba verò Aureæ illius Constitutionis C. V. hæc sunt: *Quotiens insuper ut præmittitur, sacrum vacare continget Imperium, Illustris Comes Palatinus Rheni, Sacri Imperii Archidapifer ad manus futuri Regis Roman. in partibus Rheni & Sueviæ & in jure Franconico, ratione Principatus seu Comitatus Palatini privilegio esse debet Provisor ipsius Imperii.* Hoc loco disertè utique asseritur, Vicariale munus competere Comiti Palatino Rheni, *ratione Principatus* seu *Comitatus Palatini privilegio.* Non potest profectò apertius aliis verbis asseri, omne illud Vicariale jus dependere per se, & proximè ab ipso Comitatu Palatino, atq; adeò esse prærogativum jus Terræ Palatinæ, nec quisquam temerè per trecentos annos verba ista aliter est interpretatus. Mirabor hominem, qui vel tentaverit unum aliquem producere, qui secus fuerit interpretatus. Produci enim non posse quenquam certum est. De sensu itaque isthoc verborum nefas quidem est dubitare. Observandum verò in Lege

non dici quod in posterum demum *hoc esse* privilegium, sed simul haud obscurè *indicari*, jam tum ante ita obtinuisse & denuo constitui imposterum hoc jus Palatini Comitatus esse debere. Si prius illud hoc loco significatur, utique apparet, jus illud antiquum Terræ illius niti Testimonio omni exceptione majore. Quæ valeat enim exceptio contra testimonium Cæsaris & omnium Imperii Ordinum, in plenis Comitiis de re non obsoletâ jam aut perantiquâ, sed tali, quæ in omni præsentium *Ordinum* notitiâ esse potuit? Utique *enim non* potuit temerè quenquam eorum latere, an tale jus antehac fuisset Terræ Palatinæ, nec ne. Esto autem non hanc fuisse legis mentem, sufficit, si ita tunc demum sit constitutum. Nihil ad rem facit, citius an tum demum jus illud Palatinæ Terræ cœperit. Constitutum certe ita tum esse, ut saltem imposterum hoc sit primarium jus Palatinæ Terræ, nemo poterit negare, nisi velit vim verbis facere, ut nec quisquam intra ferè trecentos annos hactenus id negavit. Si ita verò tum est in plenis Comitiis institutum, nec deinde vel Comitiorum decreto vel

con-

Consuetudine ante motus Bohemicos mutatum, manifestum est, jus illud ad motus istos utique integrum mansisse. Mutationem autem nullam vel factam vel etiam tentatam esse paulo post demonstrabitur.

Præter Legem illam Auream sunt & alia Rescripta Imperatorum, quibus hoc jus Palatinæ Terræ vindicatur. Et quidem *secundo* loco merentur huc referri ea verba, quibus est usus Rupertus Imperator in Diplomate, quo Filio Ludovico Vicariale munus contulit. Illa quidem jam tum cap. IV. sunt adducta, & jam hic tamen denuò legi commerentur. *Advertentes, à Divis Romanis Imperatoribus & Regibus Prædecessoribus Nostris hactenus extitisse observatum, ac etiam de jure Comitatus Palatinatus Rheni fuisse & esse, quòd cum Romanus Imperator ultra montes Italiam ingressus fuerit, in ipsius absentia Vicariatum Imperii, in Germaniâ, Galliâ & Regno Arelatensi ad Comitem Palatinum Rheni pertinuisse & pertinere.* Sensus verborum non minus est apertus quàm illorum quæ ex Aureâ Bullâ sunt producta. Iterum verò hic unicè venit obser-

2.

D.

obſervandum, quum Collatio illa *Vicariatus* in Filium Ludovicum facta ſit à Patre *Ruperto* Imperatore, maturo conſilio & conſenſu omnium Imperii Ordinum atque etiam Bavariæ Ducum, ut habetur in illis Tabulis, indubiè in deliberationibus Palatini illius juris momenta ſimul fuiſſe expenſa, ac proinde quod hic legitur meritò accipi poſſe tanquam Teſtimonium non unius Imperatoris, ſed Comitiorum Imperii: quod fidei utique eſt maximæ. Obſervandum *itidem*, teſtimonium hoc publicum *eſſe*, *jam antiquius* ducentis quinquaginta annis, ſimul verò non multum recentius Aureâ Bullâ, ut proinde poſſit haberi ceu verborum Aureæ Bullæ nova quædam publica interpretatio & declaratio.

3 Verba aliorum Imperatorum, quibus adſcribunt hoc jus Palatinis Principibus, non ſimul diſertè aſſerentes hoc jus competere illis *ratione* Principatus, paulo poſt producentur. Succedunt ergò tertio loco verba Principum Electorum, ante hos ducentos fermè annos ſcripta, atque adeò & ipſa vel ſolâ

ſuâ

suâ vetustate veneranda. Sunt autem & illa quidem jam tum ante ex parte producta, meretur verò rei momentum iterum hic repeti atque expendi. Igitur Friderico Victorioso Anno 1469. Imperii Vicarium cis Alpes sese ferenti, inter alia hisce verbis respondit Trevirensis Archiepiscopus & Elector Joannes. **Was Ew. Libd. vnd das Fürstenthumb der Pfaltzgraffschafft Gnade vnd Freyheit hat / daß Wir Vch dessen von gutem Hertzen wohl günnen / wolten auch vngern Vch daran abbruch thun.** G.

Adhuc apertiùs sententiam illam expressit eodem tempore, in suis ad Fridericum illum literis, Rupertus Archiepiscopus Coloniensis & Elector. **Als Vw. Lieb Vnß hat zugeschrieben vnd abschrifft Vwer Freyheit / damit Vwer Vorfahren seel. gedächtnusse / von löbl. gedächtnusse Röm. Königen vnd Keysern versehen syn / vnd Insonderheit von Keyser Carlen / deßhalben / wann ein Röm. König oder Keyser auff ienseit der Gebirge wehre / daß alsdann ein Pfaltzgraff zur Zeit gemeiner** Vicari **deß Heyl. Reichs syn / vnd Sich deß in übungen vnd** Titul **annehmen vnd gebrauchen solte / daromb Vwer Lieb Sich deß als ein Pfaltzgraffe zu dieser Zeit ahngenommen habe.**

In literis Trevirensibus hisce utique iterum disertè Vicariatus adscribitur **dem Fürstenthumb der Pfaltzgraffschafft** *Principatus Palatinatus.* In literis H.

ris verò Coloniensibus Vicarium agere *dicitur* Fridericus als ein Pfalzgraff / h. e. *jure Comitatus Palatini*.

Id porrò inter omnes constat, & nemini non est notum, saltem paulò doctiori, omne id quod alicui competit soli, id per se illi convenire non verò per accidens. Si soli itaque Palatino Comiti Vicariale jus competit, non potest non illud ultimum quasi ipsi esse & maximè proprium. Atque adeò non potest, non ipsi per se competere, & *in quantum est Comes Palatinus*, sive *ratione Principatus* aut *Comitatus* P*alatini*, jam verò soli Palatino illum Vicariatum competere, saltem per trecentos annos (tempora enim priora non moramur, quod nihil nostra intersit Vicariale illud jus antiquius sit Aureâ Bullâ, an cum illa incœperit) omnes Cæsares, omnesque Imperii Ordines, ut & alii peritiores testati sunt.

1. *Primùm* enim utique illorum per multi jus hoc simpliciter tribuerunt Comitibus Palatinis, nullâ adjectâ mentione Electoralis Dignitatis. Quando verò simpliciter quicquam de re aliqua pronunciatur, simul innuitur quid-

quam

quam rei illi *ſoli* competat. Ne agam actum, non repetam quæ ſuperius Cap. IV. jam tum allata ſunt. Adduximus vero ibi in argumento primo verba ipſiuſmet Ludovici IV. Cæſaris ex teſtimonio Joannis Cuſpiniani, Maximiliani autem primi ex ipſis Tabulis authenticis: In argumento ſexto verba Electorum ex ſeculo decimo quinto. In octavo denique verba Authoris antiquiſſimi Ordinationibus Imperii & Petri de Andlo. Sunt autem illa dicta pauca duntaxat producta, etſi ingens poſſit eorum numerus facile exhiberi, quoniam laborare in talibus congerendis nulla urgeat neceſſitas.

Et verò ſufficit attendere ad illa omnia dicta, quibus tribuitur Comiti Palatino Vicariatus dignitas, etſi ſimul mentio fiat Electoris Tituli. Etenim *ſecundo* etiam illa dicta ſunt teſtimonia juris ſoli Palatino competentis, & ſi minus ſunt perſpicua. In univerſum enim, quiſquis dicit Vicariatum Palatinis competere, ex adverſo nemini illum alii tribuit, is teſtatur ſolis Palatinis jus hoc eſſe proprium. Horum verò teſtimoniorum per trecentos amplius annos numerus eſt innumerus. Nec enim 2.

quiſquam ſive Cæſarum, ſive Principum, *ſive* aliorum, verba fecit de Vicariatu illo, niſi ſimul teſtatus ſit, illum in poſſeſſione eſſe Palatinorum Comitum. Ut proinde Vicariatum eſſe proprium jus Palatini Comitatus, conſtet trecentorum annorum univerſali ac perpetuo teſtimonio, id quod meritò poteſt eſſe pro *quarto* argumento.

5. Ad hoc ſoli utique Palatini Comites, ſaltem à tempore conditæ Bullæ Aureæ, Vicariatum adminiſtrarunt, nec adminiſtrarunt *duntaxat*, ſed etiam aperte præ ſe *tulerunt*, *hoc ſibi* juris eſſe ***ratione Principatus*** ſive Privilegio Palatini Comitatus, nec quiſquam mortalium contradixit. Fuit itaque Comitatus Palatinus ſaltem per trecentos circiter annos in quietâ poſſeſſione vel quaſi juris Vicarialis. Et tanto temporis intervallo ab univerſo Imperio jus hoc Comitatui Palatino fuit ultro & libenter attributum, præeunte publicâ Imperii lege, quam hodieque habet Bulla Aurea. Si omnia alia itaque deeſſent juris teſtimonia, tantum temporis, imò longè minus, ſufficeret Comitatui Palatino ad jus Vicariale ſibi aſſerendum. Ammoni-

monitarum Regi quondam sic respondit Jephte: *Cum habitaret Israël in Hesbon & in villis ejus & in omnibus Civitatibus, quæ sunt juxta terminos Arnon trecentis annis, cur non eripuistis in tempore illo?* Meritò ad eundum modum Comitatus Palatinus dixerit: Cum jus Vicariale tenuerim per trecentos annos citra Controversiam, quâ fronte mihi quis jam demum molestus est super ejus possessione? Cur nemo ante contradixit? Et verò etiam si initio bona fides defuisset, tamen cum illi, quorum forte interfuit, suum jus ne verbulo quidem urserint tanto temporis intervallo, ac proinde pridem dereliquerint, si quid habuerunt juris, sola illa quieta possessio, profectò jus illud dedisse potuit & stabilivisse. Non deest verò optima fides: utpote cum Palatino Comitatui lege publicâ Imperii, jam ante trecentos annos sive primò concessa sive confirmata, (perinde enim nobis est) sit, & post omni tempore ab omnibus Cæsaribus & Imperii Ordinibus sit tributa illa Vicarialis prærogativa.

Jam verò dudum ante Auream Bullam

conditam, tempore interregni, Palatini Comites Vicariatu functi sunt. Aventinus Historicus Bavarus l. 7. Annalium Bavaric. ubi egisset de obitu Rudolphi Habspurgici Romanorum Regis scribit: *Solet in Germania quamdiu orbato Capite, Præfectus Prætorio Rheni, Duxq; Bavariæ interrex esse, atque Imperii munia obire. Ludovicus tum hujusmodi dignitate defungens apud Rhenum diversabatur. Filius ejus in Bavaria degebat, atque ut Augustani Vicini sui, Cives Sacerdotes Episcopus, se atque Parentem suum tanquam Interreges reciperent, atque imperata diligenter facerent, imperabat. Id Augustenses detrectant.* Idem testatur Martinus Crusius l. 3. Annal. Suevic. In Germanico Aventini Codice lib. 7. tit. Wie König Rudolph starb ꝛc. Ita legitur: In dem Jahr 1290. da Hertzog Heinrich starb / starb auch König Rudolph fünff Monath vnd eilff Tag hernach / da er seinen Sohn Hertzog Albrechten aus Oesterreich an das Reich wolt gebracht haben / vnd darumb also das Reich ohne König vnd Keyser / so ist der Pfaltzgraff am Rhein des Heyl. Reichs Vicari. Jam tum itaque fuit Vicariatus Interregnum juris Palatini. Nec vero id verbis Palatini tantum discere est, verùm etiam elucet

ultrò

ultrò ex facto ipso Ludovici, utpote qui Vicarium illud munus nullo prætextu potuisset Rege extincto aggredi, nisi jam tum jure aliquo fuisset suffultus.

2. Agnitum porrò fuisse hoc Palatinum jus jam ante Auream Bullam, liquido utique apparet ex sanctione Ludovici IV. Cæsaris, Serenissimæ Bavaricæ familiæ primi Authoris: Prout quidem illius summam recitat Joannes Cuspinianus. Nec enim forte superest hodie ipsum Cæsaris edictum. Et vero Goldastus tale quid producit quidem vol. 5. Constitut. Imper. pag. 411. est autem confictum, illaudabili facinore Goldasti, tamen sic satis familiari, ex verbis Cuspiniani, quod Goldastus itidem dissimulavit. Verba Cæsaris ex Cuspiniano jam supra adduximus: Hoc loco merentur illa cumprimis attendi: *Longâ & approbatâ Consuetudine, inconcusse à Majorum ordinatione hactenus observata, vacante Imperio jus administrandi Imperii, jura, feuda conferendi & negotia cætera disponendi Palatino Rheni debetur, non obstante Clementina pastoralis.* Non me latet à nonnullis jactatum non Cæsaris

illa

illa ſed Cuſpiniani verba eſſe : Cùm tamen ſuæ ſuſpicionis nulla attulerint hactenus idonea argumenta, non eſt, quod nos illam multum moremur : Præſertim cum & Aventinus l. 7. Edictum ejuſdem Cæſaris adverſus Joannem XXII Papam referat hiſce inter alia verbis. *Ubi res ad Interregnum redit, penes ſe ſummam eſſe poteſtatem comminiſcitur, munus Præfecti Prætorio Rheni regali Bojorum intercipere atque in ſe transferre conatus.* Quo dicto idem aſſeritur quod memoravit Cuſpinianus. Noluiſſe ſanè videri Cuſpinianum de ſuo quicquam adjeciſſe patet ex hiſce verbis, quæ ſubnectit : *Hæc atque multa alia in hanc ſententiam pro Imperio firmando, promulgavit Ludovicus Imperator.*

3. Superat porro hodieque libellus antiquiſſimus, certe Auream Bullam vetuſtate ſuperans, Ordinatio Imperii inſcriptus; In quo hæc legas jam tum laudata : *Quod ſi Regem deficere contigerit, Comes Palatinus habeat ſemper ex officio pro rebus & neceſſitatibus Regni facere.* Haud ignoro nonnullos haud dubitaſſe

bitasse hæc verba accipere de Comitibus Palatinis, quales olim habuerunt Omnes Germaniæ regiones. Verum de Comite Palatino Rheni sermonem esse, sole clarius est meridiano, utpote cum eadem Ordinatio hæc etiam habeat: *Quod Comes Palatinus, si Regiam Majestatem sive in Exercitu, sive aliter extra Regnum agere contingat, ex officio in Regno locum tenens esse debet, omniaque facere, quæ Rex ipse posset, si præsens esset.* Nec enim hæc utique verba possunt intelligi, nisi de solo Palatino Rheni Comite: ac proinde loquuntur de eodem & reliqua illa.

Sed & vetat nos dubitare de antiquitate Palatini Vicariatus, Ipsemet Carolus IV. IV.
illis tabulis, quibus confirmavit, Jus Vicarium illud, quod habet Comes Palatinus Rege extra Germaniam absente. Ex tabulis istis, quas appendix integras exhibet, hæc G.
cumprimis sunt digna, quæ hoc loco expendantur: Wann die Pfaltzgraffen beym Rhein die Churfürsten seyn / von Röm. Keysern vnd König solch Würdigkeit vnd Freyheit von alten vnd langen Zeiten gehabt haben / vnd noch haben sollen: Wann Römisch Keyser

vnd König über Berg gezogen seyn / oder ziehen / das Sie dann gemeine Vicarien des Reichs hie disseite gewest seyn vnd seyn sollen / darumb haben Wir ꝛc. Et verò jam anno quinquagesimo quinto seculi illius, adeoq; ante Auream Bullam conditam, Carolo in Italiâ absente, Vicariatu reapse functus est in Germania Rupertus Palatinus, ceu liquet

I. K. ex duobus Caroli ipsius inscriptis, quæ in appendice exhibentur.

V. Potest porro ex Speculo juris Suevici aliquid depromi in testimonium illius antiquitatis: Per enim est verosimile, *conscriptum* illud esse statim initio *decimi* quarti seculi, certè ante Ludovicum Bavarum Imperatorem. Extat verò in Speculo isthoc testimonium illustre Vicariatus Palatini. Sed quoniam controversa est ætas illius specula-toris, & revera Palatini juris non intersit, num cum Aureâ Bullâ incœperit nec ne, non est quod de illo testimonio multum laboremus.

VI. Ad ultimum verò id cumprimis ad rem facit, quod etsi Bavaricos Principes minime latuerit, Aureâ Bullâ esse constitutum Vica-

riatum

